

CONSILIO AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE

14

FEBRUARIO 1966

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

# NOTITIAE

14

Commentarii ad nuntia  
de re liturgica edenda cura  
*Consilii*  
*ad exsequendam Constitutionem*  
*de sacra Liturgia*

« Notitiae » prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Auctorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

*Directio:* Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:  
*NOTITIAE, Città del Vaticano*

*Administratio autem residet apud*  
*Libreria Editrice Vaticana*  
*Città del Vaticano*

Pro commentariis sunt in annum solvendae:  
in Italia lit. 2.000  
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)  
Singuli fasciculi veneunt:  
lit. 200 (\$ 0,35)  
Volumen I (1965): lit. 4.000 (\$ 7)  
Singuli fasciculi anni I:  
lit. 400 (\$ 0,70)

\*

In Italia pecunia mittenda est per  
C.c.p. N. 1/16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## SUMMARIUM

Epistola Secretariae Status Summi Pontificis . . . . .	33
Sacrae Ordinationes a Summo Pontifice Paulo VI habitae in Basilica Vaticana . . . . .	34
<i>De Iubilaeo extraordinario</i>	
« Mirificus Eventus ». Pauli Pp. VI Constitutio Apostolica qua indicitur et promulgatur Iubilaeum extraordinarium . . . . .	35
Sacrae Paenitentiarie Apostolicae Decretum circa Iubilaei extraordinarii Indulgentias . . . . .	40
Sacrae Paenitentiarie Apostolicae Declaratio circa Iubilaei extraordinarii Indulgentias . . . . .	40
Sacrae Rituum Congregationis Decretum quo Missa pro Iubilaeo extraordinario promulgatur . . . . .	42
« Consilii ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia » Communicatio circa Missae pro Iubilaeo extraordinario populares interpretationes . . . . .	43
Missa pro Iubilaeo extraordinario . . . . .	44
Commentarium . . . . .	46
<i>Acta Consilii</i>	
Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur . . . . .	50
Decreta quibus confirmantur interpretationes populares praeferationum in Missa . . . . .	57
Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares Proprietatum religiosorum . . . . .	57
<i>Actuositas Coetuum Episcoporum</i>	
Libri liturgici officiales (Cecoslovacia; Germania-Helvetia) . . . . .	59
<i>Bibliographica</i> . . . . .	60



DAL VATICANO, 31 gennaio 1966

DI SVA SANTITA'

— — —  
N. 62786

Rev.mo Padre,

mi reco a premura di comunicarLe che ho presentato all'Augusto Pontefice il volume contenente la priza annata della rivista "Notitiae", che la Paternità Vostra Rev.ma aveva inviato il 24 gennaio scorso, a nome della Commissione per l'esecuzione della Costituzione sulla sacra Liturgia e della Libreria Editrice Vaticana.

Sua Santità, Che ha ricevuto con molto gradimento il devoto omaggio, mi ha incaricato di esprimere a Lei un vivo ringraziamento per il gentile pensiero e di rinnovare a codesta Commissione, e in particolare a quanti curano l'edizione del Periodico, un sincero elogio per i nobili intenti che con tale pubblicazione si sono prefissi, e un paterno augurio che essa raggiunga gli effetti sperati, favorendo una ordinata applicazione delle nuove disposizioni liturgiche e suscitando sempre maggiore interesse e amore per la preghiera pubblica della Chiesa.

A conferma di questi voti, il Vicario di Cristo invoca copiosi lumi e favori celesti, mentre di gran cuore imparte all'Em.mo Presidente della Commissione, a tutti i Membri e Collaboratori di essa e alla Paternità Vostra la propizia-trice Benedizione Apostolica.

Con sensi di religioso ossequio mi confermo

di Vostra Paternità Rev.ma  
dev.mo nel Signore

Rev.mo Padre  
P. Annibale Bugnini  
Segretario del "Consilium ad  
exsequendam Constitutionem de  
Sacra Liturgia"

+ Augelo dell'Aym  
Scheda

## SACRAE ORDINATIONES A SUMMO PONTIFICE PAULO VI HABITAE IN BASILICA VATICANA

*Die 6 ianuarii, Epiphaniae sollemnissimae sacro, Beatissimus Pater Paulus VI, super sepulcrum Principis Apostolorum, ad sacram Presbyteratus Ordinem promovit 62 diaconos e Pontificio Collegio Urbano de Propaganda Fide, 21 Nationes repraesentantes.*

*Imagines huius fasciculi hunc ritum illustrant (successive exhibentur: Ordinandorum ad litanias Sanctorum prostratio, dona pro offertorio, offertorium, concelebratio).*

*Ad offertorium, loco cereorum, qui de more Pontifici Celebranti afferuntur, vera dona Summo Pontifici, una cum vino et hostiis pro Sacrificio, Ordinandi obtulerunt. Et ita magis perspicuus et verus factus est sensus ipsius ritus.*

*En dona oblata (elenchus exhibitus est a Sororibus « Franciscaines Missionnaires de Marie », quae ea affabre paraverunt):*

1. Album de photos des nouveaux prêtres.
2. Coffret en argent (Afrique).
3. Tête sculptée en bois d'ébène (Afrique).
4. File d'éléphants en ivoire (Ceylan).
5. Coffret en bois de camphre (Chine).
6. Oiseau en ivoire (Congo).
7. Vase (Corée).
8. Coffret en filigrane (Damas).
9. Casque de bronze (Inde).
10. Cadre « Adoration des mages » (Inde).
11. Cloche de pagode (Inde).
12. Peinture sur soie (Japon).
13. Boîte en laque (Japon).
14. Pochette en cuir (Maroc).
15. Service de messe brodé au point de Meknès (Maroc).
16. Plateau en bois peint laqué (Mexique).
17. Pietà, 13<sup>e</sup>station du Chemin de croix (Nigéria).
18. Aiguière et plateau en cuivre (Proche-Orient).
19. Vase en laque (Vietnam).
20. Vin.
21. Hosties.

# De Iubilaeo extraordinario

## « MIRIFICUS EVENTUS »

### PAULI PP. VI CONSTITUTIO APOSTOLICA QUA INDICITUR ET PROMULGATUR IUBILAEUM EXTRAORDINARIUM

Mirificus eventus, cui modo finis est factus, ad quemque animos et mentes cum tota catholicorum familia, tum vero etiam universa hominum coniunctio incensiore cotidie studio per hos quattuor annos adhibuerunt, Concilium Oecumenicum Vaticanum II dicimus, a Nobis factum itidem permagnum expostulare videtur, quod non solum in hominum mentibus diuturnam imprimat memoriam amplissimi illius Consensus, in praesenti in futuroque rerum Ecclesiae cursu praecepui, sed, quod pluris interest, christifidelium animos ad sacratissimae Synodi praecepta tenenda componat.

Iamvero hoc Nobis in pectore voluntibus visum est, ut iam nuntiavimus, nihil magis ad rem conducere posse quam Iubilaei extraordinarii celebrationem. Hac enim via opinamur optime fieri, ut hinc — quod aequissimum est — summo Deo grates publice agantur de donis uberrimis Ecclesiae suae allatis, sive cum trepidanter laeteque Concilium appararetur, sive cum per quadriennium maxima cum alacritate et utilitate eius momenta agerentur; hinc ut divina subsidia in hoc prae-sertim tempus implorentur, cum exsultantium et exspectantium animorum quasi fremitus Nos sperare sinit, plurima fore commoda ab huius aetatis hominibus inde percipienda.

Iubilaeum deinde, ut equidem sentimus, praeclaram opportunitatem christifidelibus bonae voluntatis praebere potest, sese ad christianam virtutem recipiendi, ut renovatio illa exspectatissima in singulorum vita, in domestica, in publica, in sociali, effecta detur, ad quam unam dimissum nuper Concilium spectavit.

Neque sine causa magna emolumenta de Iubilaeo Nobis spondemus; cum, si memoriam rerum gestarum Ecclesiae repetamus, profecto doceamur, numquam sine magno fructu salutare huiusmodi insti-

tutum instauratum esse. Quod, ut sescenta aliorum testimonia praetereamus, plane monent haec verba Decessoris Nostri ven. mem. Pii XII, Sacrum Iubilaeum in annum millesimum nongentesimum quinquagesimum indicentis: *Si enim homines hanc Ecclesiae vocem exaudierint, si a terrenis fluxisque rebus ad aeterna se converterint perpetuoque mansura, tum procul dubio optatissima illa habebitur renovatio animorum, ex qua non tantum privati, sed publici etiam mores christianis praeceptis christianoque afflato conformabuntur.*<sup>1</sup>

Has ob causas, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Iubilaeum extraordinarium in omnibus ac singulis catholici orbis dioecesibus, a die primo mensis Ianuarii proximi anni millesimi nongentesimi sexagesimi sexti inchoandum et ad diem festum sacrae Pentecostes, hoc est ad diem undetricesimum mensis Maii eiusdem anni finiendum, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, ad ipsius Dei gloriam, ad animorum salutem et catholicae Ecclesiae incrementum, indicimus per has Litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Quo praecipuo supernae salutis tempore nuntiato, atque caelestium gratiarum aperto fonte, Nostrum esse ducimus statim in medio ponere, quid potissimum, hac egregia occasione oblata, quaeramus.

Primum omnium, non secus atque Decessores Nostri in eiusdem generis condicionibus, a christifidelibus omnibus expetimus miram eam animorum mutationem, quae haberi nequaquam potest, nisi in intimis hominis sensibus: in cultu nempe virtutis paenitentiae, cui quidem accedat sacrae confessionis Sacramentum, quo fideles, quasi in salutari quodam balneo, se in pretiosissimo Christi sanguine mergant; neque haberi potest, nisi christiani homines, se nobilitandi gratia, quam maxime cum divino mortalium Redemptore coniungantur, qui sive redintegrato incruente Crucis Sacrificio, nostrae salutis causa, sive facta nobis sui Eucharistici Corporis facultate ita animos nostros extollit et perficit, ut ad verum germanumque divinae vitae consortium perveniamus. Quare in spe sumus fore ut promulgatum Iubilaeum christianorum optimos ad altiora queaque impellat, bonos vero ad acriorem alacritatem commoveat ad cotidianaे vitae officia servanda, secundum Dei praecepta. Atque utinam inter hoc piaculare tempus fiat, ut qui vel a fonte ac principio gratiae longe absint, vel maxime qui fidem in Deum incon-

<sup>1</sup> Litt. Ap. *Iubilaeum maximum*, 26 maii 1949; A.A.S. XXXI, 1949, p. 257.

sulte seu obliti sint, seu repudiaverint, ii singulari condicione, quae nunc defertur, utantur, atque ita cum Deo pacem reconcilient!

Quin etiam optamus vehementer, ut Christi sectatores, satis non habentes mores tenere inculpatos, vitae sanctitatem, quoad per humanae vires liceat, appetant ac veluti sitiant: qua nimirum tum ad christianarum virtutum, ac praecipue caritatis, certam exercitationem, tum ad firmissimam voluntatem imitandi Christum Crucifixum, tum ad studium cupiditatemque regni Dei amplificandi maiorem in modum inflammen-  
tur. Quibus ex rebus simul fieri non poterit, quin Ecclesia, ad pristinam vim suam revocata, summas capiat utilitates, ac nativus eius tamquam impetus animorum Deo querendorum magis magisque exacuatur, ab exultiore conscientia profectus; simul consequi non poterit, quin am-  
plissimi illi fructus longe lateque in Ecclesia maturescant, quorum per-  
cipiendorum causa in Oecumenica Synodo tot tantique labores insumpti sunt. Quas spirituales utilitates Nosmetipsi quasi summatim in primis Litteris Encyclicis nostris delineavimus, hoc animo praincipientes, ut *ex Concilio gloriam Deus, gaudium Ecclesia, mundus salutiferum exemplum acciperet.*<sup>2</sup>

Quoniam vero, quod modo clausimus Concilium, iure merito ab Ecclesia appellationem traxit, utpote in quo Christi Sponsa datum sibi a Deo mandatum animorum hominum servandorum diligentius cognoverit, nunc par esse arbitramur indictum Iubilaeum ad hunc finem tamquam sibi proprium pertinere: ut scilicet in omnibus christifidelibus, cum e sacra Hierarchia tum e laicorum ordine, increbrescat sensus Ecclesiae, huiusque rei magis illustrata magisque actuosa conscientia excutiatur. Quapropter omnino oportet, inter sacram tempus, quod sequitur, Ecclesia illud insistens iter, quod per Concilium esse tenendum diximus, non intermittat: *in seipsam introspicere penitus; suum meditari mysterium; se docendi et incitandi causa, altius perscrutari doctrinam de sua origine, de sua natura, de suo persequendo mandato, de suo fine; quae doctrina, licet iam sibi sit nota, atque superiore hoc saeculo sit enucleata et vulgata numquam tamen satis neque excussa neque intellecta dici potest.*<sup>3</sup>

Nunc vero rati nulla alia ratione posse aptius salutaria haec consilia ad effectum adduci, haud perperam expetere videmur, ut sacram Iubilaeum, in unaquaque dioecesi peragendum, suam sedem ac veluti do-

<sup>2</sup> Cfr. Litt. Enc. *Ecclesiam suam*, 6 aug. 1964; A.A.S. LVI, 1964, pp. 621-22.

<sup>3</sup> Litt. Enc. *Ecclesiam suam*, 6 aug. 1964; A.A.S. LVI, 1964, p. 611.

mum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur.

Etenim cathedralis dioecesis templum, quod haud raro artis pietatisque studium maiorum nostrorum splendide declarat, operibusque exornatur mirabili artificio factis, ea in primis insignitur dignitate ut, quemadmodum per vetusto eius significatur nomine, in eo Episcopi cathedra consistat, quae est unitatis, ordinis, potestatis, veracisque magisterii cum beato Petro coniuncti tamquam cardo. Quin et hoc accedit, quod cathedralis aedes, ob exstructae molis maiestatem, spiritualis illius templi index est, quod intus in animis aedificatur ac divinae gratiae magnificentia nitet; ex ea Pauli Apostoli sententia: *vos enim estis templum Dei vivi.*<sup>4</sup> Deinde templum cathedralē expressa imago est ducenda aspectabilis Christi Ecclesiae, quae in terrarum orbe et precatur, et canit, et adorat; est nimurum imago putanda Mystici eius Corporis, cuius membra in una conglutinantur caritatis compage, supernorum donorum oratione nutrita; nam, ut die festo Dediicationis scriptum apud ritum Ambrosianum legimus: *haec est mater omnium, filiorum numero facta sublimior: quae per Spiritum Sanctum quotidie Deo filios procreat: cuius palmitibus mundus omnis impletus est: quae propagines suas ligno baiulante suspensas erigit ad regna caelorum. Haec est civitas illa sublimis iugo montis erecta, perspicua cunctis, et omnibus clara.*<sup>5</sup>

Fere igitur naturae convenienter, tempore proximi Iubilaei, christifideles aut piis caeremoniis operam daturi, aut sacris vacaturi contionibus, aut peculiares eas poenae remissiones, peccatis debitae, lucraturi, quae usitatiore vocabulo indulgentiae nuncupantur, in princeps dioecesis templum vel singuli vel per turmas confluent.

Siquidem vero necesse esse diximus, celebrandum Iubilaeum circa Episcopum, quasi circa fulcimentum suum, totum verti, adhortamus idcirco, ut Ecclesiae filii ipsi circumfundantur.

Quam ob rem, cum Episcopi, hoc concluso Concilio, ad suas sedes sancto inflammati ardore reversi erunt, ducti consilio fideles exaudiendi ad Concilii praescripta efficienda, eos, in singulis dioecesibus, sacerdotes et christianus populus universus circumstent, ut iisdem animum profiteantur gratum ob diligentem operosamque industriam quam in celebrando Concilio posuerunt; ut observantiam pietatemque, filio-

<sup>4</sup> 2 Cor. 6, 16.

<sup>5</sup> *Missale Ambrosianum*, in Praefatione diei festi Dediicationis Ecclesiae.

rum propriam, iterum testentur; ut praesertim suam adiutricem operam pollicentur, quae in deprecationibus, in vitae actione atque in voluntaria sui castigatione consistat. Scilicet cleris, Religiosi, sacrae virgines omnesque laicorum hominum coetus, inter se arte coniuncti, alaci studio ad sapientem paternamque suorum Pastorum moderationem sese conferant, qui, ut significantem sententiam mutuemur ex Oecumenico Concilio Vaticano II, oportet *Ecclesia sibi concreditas ita sanctificant, ut in eisdem universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat.*<sup>6</sup>

Episcopus autem, dum in cathedrali aede omnibus hisce coetibus christiana sibi concreditae familiae auctoritate sua praeest, apostolatus obeundi normas impertit, eosque ad caritatem exercendam precesque fundendas incendit, tunc re vera efficit, ut per sollemniores sacrorum officiorum externas celebrationes, in principe dioecesis templo interna mentium voluntatumque concordia et consensio gregis cum Pastore suo apertissime ostendantur.

Curet igitur in primis Episcopus, ut illis salutis diebus in cathedrali aede habeantur, tum peculiares sacrarum contionum series; quibus Concilii decreta explicitur; tum sacrae Missiones, quas vocant; tum pro clero populoque christiano piae animi exercitationes, praesertim Quadragesimae ieunii tempore, animis ad festum Paschatis praecolendis; ita nimur ut in omnibus summa cupiditas sui renovandi innascatur.

[*Sequuntur dispositiones canonicae ad Indulgencias Iubilaei lucrandas.*].

Datum Romae, apud S. Petrum, die VII mensis Decembris, anno MDCCCLXV, Pontificatus Nostri tertio.

Ego PAULUS  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

<sup>6</sup> Decr. *Christus Dominus*, [De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia], n. 15.

**Sacrae Paenitentiariae Apostolicae *Decretum*  
circa Iubilaei extraordinarii indulgentias**

Cum plures Episcopi enixe petierint ut iubilares Indulgentiae per Constitutionem Apostolicam *Mirificus eventus* christifidelibus concessae acquiri possint etiam ab iis quibus, ob peculiaria locorum vel temporum adiuncta, difficilis ad ecclesiam cathedralem sit aditus, Summus Pontifex Paulus Divina Providentia Pp. VI, hoc Sacrae Paenitentiariae decreto, facultatem omnibus locorum Ordinariis benigne concedit — si ad feliciorem Iubilaei exitum id conferre censuerint — designandi, praeter ecclesiam cathedralem, unam vel plures dioecesis ecclesiastis, in quibus christifideles iubilares gratias pariter assequi valeant.

Datum Romae, ex Sacra Paenitentaria, die 20 decembris 1965.

✠ F. Card. CENTO  
*Paenitentiarius Maior*  
I. Sessolo, *Regens*

**Sacrae Paenitentiariae Apostolicae *Declaratio*  
circa Iubilaei extraordinarii indulgentias**

Cum non pauci locorum Ordinarii quaestiones vel dubia circa iubilares Indulgentias, per Constitutionem Apostolicam *Mirificus eventus* concessas, proposuerint, Sacra Paenitentaria, de expresso mandato SS.mi D. N. Pauli div. Prov. Pp. VI, ad omnes haesitationes in explicanda eadem Constitutione auferendas, declarat Indulgentiam plenariam acquiri posse a christifidelibus confessis, sacra Communione refectis et ad mentem Summi Pontificis orantibus:

1. quotiescumque tribus saltem institutionibus de Concilii Oecumenici Vaticani II decretis in qualibet ecclesia vel loco apto habendis interfuerint;

2. quotiescumque tribus saltem sacrarum Missionum concionibus in qualibet ecclesia devote adstiterint;

3. quotiescumque eucharistico Sacrificio, a quolibet Episcopo quadam cum sollemnitate celebrato in cathedrali ecclesia vel in alia ecclesia ab Ordinario loci designata, ad normam Decreti Sacrae Paenitentiariae Apostolicae diei 20 decembris 1965, devote interfuerint;

4. semel tantum, durante extraordinarii Iubilaei tempore, si cathedrale templum vel aliam ecclesiam, a loci Ordinario ut supra designatam, pie visitaverint ibique, qualibet legitima formula adhibita, fidei professionem renovaverint;

5. si Benedictionem Papalem, semel occasione praecipuae celebrationis impertiendam ab Episcopo loci vel ab eius Coadiutore aut Auxiliari vel etiam ab alio Episcopo rite delegando, pia mente acceperint.

Convenit ut loci Ordinarius, si, praeter cathedralem ecclesiam, unam vel plures ecclesias ad Indulgentias iubilares lucrandas designare velit, eligat quae sint in dioecesi principaliores, uti ecclesia primaria alicuius vicariatus foranei vel insigne sanctuarium.

Maxime insuper expedit ut institutiones de Concilii Oecumenici decretis, in qualibet paroeciali ecclesia vel alia sede laudabiliter facientes, compleantur cum peregrinatione ad ecclesiam cathedralem vel ad aliam ecclesiam ab Ordinario loci uti supra designatam, ad quam christifideles eiusdem loci vel ordinis simul, quantum fieri potest, accedere current.

Confessarii omnes, vi can. 935 C.I.C., commutare possunt pia opera, de quibus supra, ad iubilares Indulgentias acquirendas iniuncta, in favorem christifidelium, qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeunt.

Datum Romae, ex S. Paenitentiaria Apostolica, die 5 ianuarii 1966.

 F. Card. CENTO  
*Paenitentiarius Maior*

L.  S.

I. Sessolo, *Regens*

**Sacrae Rituum Congregationis *Decretum*  
quo Missa pro Iubilaeo extraordinario promulgatur**

Extraordinarium Iubilaeum, quod Beatissimus Pater Paulus Pp. VI, Concilii Vaticani II veluti coronam, die 7 decembris 1965 indixit ac promulgavit, in singulis catholici Orbis dioecesibus celebrandum, ita ordinatum est ut « suam sedem ac veluti domum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur » (*Motu Proprio Mirificus eventus*). Opportunum proinde visum est ut etiam per liturgicos textus in praecipuis huius sacri Iubilaei celebrationibus eucharisticis adhibendos, eadem praeclara notio Pastoris et Ecclesiae pressius exprimatur et extollatur.

Quapropter formulae Missae, quae hoc Decreto promulgantur, adhiberi valent:

1. Quotiescumque eucharisticum Sacrificium a quolibet Episcopo quadam cum solemnitate celebratur in ecclesia cathedrali vel in alia ecclesia ab Ordinario loci designata, ad normam Decreti S. Paenitentiariae Apostolicae diei 20 decembris 1965, pro fidelibus ad easdem ecclesias accendentibus ad sacri Iubilaei indulgentias lucrandas.

2. Quotiescumque Missa celebratur in qualibet ecclesia sub fine aut sacrarum Missionum aut peculiarium aliorum coetuum, in quibus institutiones habitae sint de Concilii Oecumenici Vaticani II decretis, ad normam Declarationis S. Paenitentiariae Apostolicae diei 5 ianuarii 1966.

3. Quotiescumque Missa celebratur pro fidelibus eiusdem loci vel ordinis ad ecclesiam cathedralem vel ad aliam ecclesiam, ab Ordinario loci, ut supra, designatam, simul accendentibus post sacras Missiones vel peculiares institutiones de Concilii Oecumenici decretis.

Huiusmodi autem Missae celebrentur cum paramentis albi coloris, tamquam votivae II classis, ad normam n. 343 Codicis rubricarum. Symbolum tamen semper dicatur, etsi dominica non occurrat.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Romae, die 6 ianuarii 1966.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA  
*S. R. C. Praefectus*

Ferdinandus Antonelli O.F.M.  
*S. R. C. a Secretis*

L.  S.

« Consilii ad exsequendam Constitutionem  
de Sacra Liturgia » *Communicatio circa Missae*  
pro Iubilaeo extraordinario populares interpretationes

*Quo citius in usum venire possit textus Missae votivae pro Iubilaeo extraordinario, ad interpretationes populares quod attinet, « Consilium », die 21 ianuarii 1966 (Prot. n. 19/66), Praesidibus Coetuum Episcoporum sequentes normas transmisit:*

Per Litteras Apostolicas *Mirificus eventus*, Summus Pontifex Paulus Pp. VI Iubilaeum extraordinarium indixit a die 1 ianuarii ad diem 29 mensis maii huius anni celebrandum.

Sacra Rituum Congregatio, de mandato Summi Pontificis, Missam propriam apparavit et promulgavit, in qua scopus Iubilaeo praestitutus evidentiore luce emicat.

Haec Missa, editione *typica*, Typis Polyglottis Vaticanis excusa, praebet textus tum pro tempore per annum tum pro tempore paschali, cum peculiari oratione communi, propria praefatione et cantibus, sive e Graduali romano depromptis, sive simplicioribus melodiis ornatis.

Ut statim haec Missa in usum veniat, etiam ad textum popularem quod attinet, Beatissimus Pater Paulus Pp. VI concedit:

1) In regionibus, quae lingua utuntur communi, singuli Coetus Episcoporum valent interpretationem popularem assumere a Commissione mixta opportune paratam, quin teneantur, pro hac vice, confirmationem textus a « Consilio » expetere.

2) Ceteri Coetus Episcoporum interpretationem popularem conficiendam current fidelem et aptam, illam approbatione muniant et adhibere concedant, omissa, pro hac vice, confirmatione textus ex parte « Consilii ».

## Missa pro Iubilaeo extraordinario<sup>1</sup>

### ORATIONES

#### *Oratio*

Multiplica, Domine, quae sumus, in Ecclesia tua spiritum gratiae, quem dedisti; ut fideles tui et te tota mente cognoscant, et quae tibi sunt placita toto corde sectantes, bonorum tuorum semper munere potiantur. Per Dominum.

#### *Oratio super oblata*

Dicatae tibi, Domine, quae sumus, capiamus oblationis effectum; ut, a terrenae vetustatis conversatione mundati, caelestis vitae profectibus innoveremur. Per Dominum.

#### *Oratio post Communionem*

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut, quos uno caelesti pane satiasti, una facias pietate concordes. Per Dominum... eiusdem Spiritus Sancti.

### PRAEFATIO

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum.

Qui eminentiam potestatis acceptae Ecclesiae tradidit, quam pro honore percepto et Reginam constituit et Sponsam. Cuius sublimitati universa subiecit: ad cuius iudicium consentire iussit e caelo.

Haec est Mater omnium viventium, filiorum numero facta sublimior: quae per Spiritum Sanctum quotidie Deo filios procreat: cuius palmitibus mundus omnis impletus est: quae propagines suas, ligno baiulante, suspensas erigit ad regna caelorum.

Haec est Civitas illa, sublimis iugo montis erecta, perspicua cunctis, et omnibus clara: cuius conditor et inhabitator est idem Dominus noster Jesus Christus Filius tuus.

Per quem...

<sup>1</sup> *Missa pro Iubilaeo extraordinario*. Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXVI, pp. 24.

## LECTIONES

Epistola: extra tempus paschale: Apoc. 21, 2-7: *Vidi civitatem sanctam*  
 Tempore paschali: 1 Petr. 2, 1-10: *Deponentes omnem malitiam.*

Evangelium: extra tempus paschale: Mt. 5, 1-12: *Beatitudines.*  
 Tempore paschali: Ioann. 10, 1-10: *Bonus Pastor.*

## CANTUS E GRADUALI ROMANO

Antiphona ad introitum: Ps. 67, 6-7 et 36: *Deus in loco sancto* (Dom. XI post Pentecosten).

Graduale: Ps. 121, 1 et 7: *Laetatus sum* (Dom. IV Quadragesimae).

Alleluia: Ps. 137, 2: *Adorabo ad templum sanctum tuum* (In Dedicatione ecclesiae).

Tractus: Ps. 124, 1-2: *Qui confidunt in Domino* (In Dedicatione ecclesiae).

Tempore paschali: Ps. 137, 2: *Adorabo. Bene fundata est* (In Dedicatione ecclesiae).

Antiphona ad offertorium: 1 Paral. 29, 17 et 18: *Domine Deus* (In Dedicatione ecclesiae).

Antiphona ad communionem: extra tempus paschale: Mt. 5, 8-10: *Beati mundo corde* (In festo Omnitum Sanctorum).

Tempore paschali: Ioann. 10, 14: *Ego sum Pastor bonus* (Dom. II post Pascha).

## CANTUS SIMPLICIORES

Antiphona ad introitum: *Suscepimus Deus. Ps. 47: Magnus Dominus.*

Cantus post lectiones: extra tempus paschale: Ps. 147: *Lauda Ierusalem Dominum. Alleluia. Ps. 83: Quam dilecta tabernacula tua.*

Tempore paschali: Ps. 117: *Confitemini Domino quoniam bonus.*

Antiphona ad offertorium: *Bene fundata est. Ps. 121: Laetatus sum.*

Antiphona ad communionem: extra tempus paschale: *Beati pacifici. Ps. 22: Dominus regit me.*

Tempore paschali: *Ego sum pastor bonus. Ps. 22: Dominus regit me.*

## ORATIO FIDELIUM

Fratres dilectissimi, una voce suppliciter exoremus Deum Patrem omnipotentem, per intercessionem beatae Mariae semper Virginis, sancti Joseph, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, ut fructus sacri Iubilaei abunde percipere possimus.

1. Ut universalis Ecclesiae Pastorem, Paulum sextum, totumque ordinem Episcopatus omnemque clerum donis repleat spiritualium gratiarum, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.
2. Ut Episcopus noster N. eiusque clerus Ecclesiam sibi concreditam ita sanctificant, ut in ea universae Christi Ecclesiae sensus plene effulgeat, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.
3. Ut fructus, quos Deus per Oecumenicum Concilium in Ecclesiam suam effundere statuit, omnes sinceris paratisque animis percipere studeamus, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.
4. Ut ad aedificandam Ecclesiam in iustitia et sanctitate, populus Dei, Oecumenico Concilio impulsus, operam conferat, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.
5. Ut cunctae familiae gentium vocem Ecclesiae audire, et veram pacem in iustitia et caritate valeant aedificare, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.
6. Ut nos, hanc Eucharistiam participantes, veram Dei familiam cum fratribus nostris circa Ecclesiae pastores efficere studeamus, Dominum oremus.  
*R.* Christe, audi nos.

*Oratio*

Vota, quaesumus, Domine, supplicantis populi caelesti pietate prosequere; ut et quae agenda sunt, videant, et ad implenda quae viderint, convalescant. Per Christum Dominum nostrum.

*R.* Amen.

COMMENTARIUM

Sacrosancto Concilio iam ad finem vergente, Summus Pontifex Paulus VI, per Litteras Apostolicas *Mirificus eventus* Iubilaeum extraordinarium indixit et promulgavit, a die 1 ianuarii ad 29 maii huius anni, festum nempe Pentecostes, celebrandum.

Eadem ratione ac praecedentia Iubilaea, etiam hodiernum in primis sibi proponit « eam animorum mutationem, quae haberi nequaquam potest, nisi in intimis hominis sensibus ». Cum tamen Concilium in

omnibus documentis a se editis notionem Ecclesiae viventis et operantis tam praecclare in luce posuerit, ut ab eadem Ecclesia appellationem merito quodammodo duxerit, Beatissimus Pater voluit ut etiam Iubilaeum hanc ipsam notionem sibi haberet. Unde nihil magis posse haec consilia ad effectum adducere visum est, quam « ut sacrum Iubilaeum, in unaquaque dioecesi peragendum, suam sedem ac veluti domum habeat eadem cathedralem, atque in uno Episcopo, concretarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur » (*Constitutio Apostolica Mirificus eventus*).

Quod ut aptius in rem duderetur, statutum est ut sacris celebrationibus peculiares coetus praemitterentur, in quibus institutiones traderentur de Concilii Oecumenici decretis; simulque congruum visum est ut etiam per textus liturgicos, in praecipuis celebrationibus eucharisticis adhibendos, eadem notio Ecclesiae et Pastoris congrua luce exponatur.

Duobus igitur hisce fundamentis nituntur textus liturgici in Missa assumpti, quae a verbis *Deus in loco* initium capit.

Quo autem Missa in cantu facilior evaderet (immo ad eam suavius quodammodo proponendam), omnes partes cantu preferenda e Graduali romano desumptae sunt, utpote iam notae.

*Antiphona ad introitum* e Missa dominicae XI post Pentecosten derivatur et notionem Ecclesiae, prouti domus Patris est, suaviter exprimit, in qua ipse universam suam familiam colligit, per orationem unanimem « virtutem et fortitudinem » postulantem.

*Oratio collecta* e duobus textibus *Sacramentarii Veronensis* (ed. MOHLBERG, nn. 1002 et 1056) constans, in priore parte divitias spirituales innuit Ecclesiae per Concilium allatas, in altera vero necessitatem qua fideles obstringuntur his fideliter respondendi.

Liber Apocalypsis (21, 2-7) textum *prima lectionis* praebet per imaginem illam praeclaram civitatis novae Ierusalem descendentis de caelo, quae figura exstat speciosa Ecclesiae. Haec sponsa, aetate et viribus et dotibus florens, attrahendis continuo ad se hominibus pertendens, novis viribus novisque gratiis per Concilium est ditata.

*Graduale autem* (Ps. 121, 1 et 7) seu cantus quo coetus fidelium Deo respondeat, qui verbum suum in lectione ipsi significat, sensus exprimit animae peregrinantis, quae laeta ad domum Dei ascendit, ut

pacem, fortitudinem, prosperitatem et gratiam sibi acquirat. *Tractus* vero (Ps. 124, 1-2) fiduciam in Deum insinuat: « Qui confidunt in Domino... non commovebitur in aeternum ». Ad quam fiduciam plenam revocat, quasi culmen liturgiae verbi, *lectio evangelica* (Mt. 5, 1-12): per eam novo populo Dei, circa suum Pastorem in ecclesia-matre congregato, proponitur « decalogus » beatitudinum; beatitudo nempe eorum qui diligunt caritatem, mansuetudinem, misericordiam, puritatem, eorum qui esuriunt et sitiunt iustitiam, qui fidem in Christo animo aperto ac sincero profitentur.

Sollemnis proclamatio a « plebe sancta » accipitur per ardenter fidei professionem et renovatum propositum in actum deducendi, animo filiali, ea quae ardenter professa est. Tunc uno ore *oratio communis* profertur.

Fit nunc accessus ad altare, et oblatio defertur pro Sacrificio: corda et mentes, opera et dolores, bona materialia et spiritualia, universa apud elementa panis et vini deponuntur, quae fient Corpus et Sanguis Christi, dum populus cantat: « Domine Deus, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa... ».

Animi purificationem et paenitentiam, Iubilaei fines primarios, intendit *oratio super oblata*.


Et subsequitur praefatio, e divitiis euchologiae ritus ambrosiani desumpta. Quinque imaginibus, sibi invicem succendentibus, Ecclesia modo mirabili exaltatur quasi Regina, Sponsa, Mater viventium, Vitis electa, sublimis et sancta Civitas supra montem posita. Textus praefationis, fere totus in Constitutione Apostolica *Mirificus eventus* assumptus est.

*Antiphona ad communionem*, iuxta venerabilem traditionem gregoriana, verba ex Evangelio sumit: *Beati mundo corde*, eadem nempe verba quae *Missale romanum* festo omnium Sanctorum tribuit.


*Postcommunio* tandem, conclusionis instar, a Domino efflagitat ut in vita cotidiana fideles « uno pane » refecti, gratiam et fructum participationis ad eandem mensam protrahant, per communionem sensuum pietatis cum fratribus sibi coniunctis.

Haec Missa nonnullas variationes habet tempore paschali, praesertim ad lectiones quod attinet. Tamquam *Epistola* ille occurrit locus Petri (1 Petr. 2, 1-10) in quo Apostolus vocationem christianam aperte delineat super sacerdotio spirituali fundatam, qua nempe fideles fiunt









« lapides vivi », populus Dei novus. *Evangelium* autem a Ioanne (10, 1-10) desumptum, priorem partem refert mirabilis illius sermonis Domini de bono Pastore, cuius altera sectio in secunda dominica post Pascha legitur. Eadem figura boni Pastoris, uti par est, per antiphonam ad communionem iterum praesentatur.

\* \* \*

Fasciculus textus Missae praebet (editione typica apud Typographiam Officinam Vaticanam impressus) et insuper cantum pro oratione fidelium, pro praefatione, elenchem cantuum « Proprii » eorumque fontium in Graduali romano, necnon « Cantus simpliciores » aliquos e Graduali simplici derivatos. In his, ut melodiae gregorianaee authenticæ tantum, novis exclusis compositionibus, adhiberentur, necesse fuit aliquos mutare textus, cum non omnes qui in Missa occurrunt inveniri possint in authentica traditione gregoriana melodiis simplicioribus ornati. Pro iis ergo qui hos simpliciores cantus assument, antiphona ad introitum erit *Suscepimus Deus*, una cum psalmo 47 *Magnus Dominus* proferenda. Cantus inter lectiones occurrentes, extra tempus paschale, praebent psalmum 147 *Lauda Ierusalem* ad modum psalmi responsorii et psalmum 83 *Quam dilecta* una cum *Alleluia*; tempore vero paschali unum psalmum 117, huic temporis proprium, in modum psalmi alleluia tici. Ad offertorium assumitur antiphona *Bene fundata est* cum psalmo 121 *Laetatus sum*. Ad communionem iidem textus in Missali propositi retenti sunt, cum traditio gregoriana eos melodiis quoque simplicioribus ornatos referat. Utroque in casu, una cum antiphona *Beati pacifici* et *Ego sum pastor bonus* canitur psalmus 22 *Dominus regit me*, qui est psalmus initiationis christianaee et fiduciae in Deum, « bonum pastorem ».

Decretum quo Sacra Rituum Congregatio hanc Missam iubilarem promulgat, casus in quibus eam adhibere licet necnon praescriptiones rubricales statuit. Cum haec Missa celebratur, *Credo* semper erit dicendum, etsi dominica non occurrit. In coetu enim frequenti totius communictatis, quae ritum tam sollemnem implet, ad propriam fidem in Christum eiusque Ecclesiam profitendam, deesse nequit unanimis et fortis professio fidei per cantum symboli manifestata.

# Acta Consilii

---

## SUMMARIUM DECRETORUM QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM EPISCOPORUM CONFIRMANTUR (a die 1 nov. ad diem 15 dec. 1965)

### AFRICA

---

#### Africa Aequatorialis

##### V. Decreta particularia:

8. Arcis Archambault in Ciadia (8 nov. 1965, Prot. n. 3892/65): confirmantur interpretationes Ordinarii Missae linguis mgayes, kaba et sara madijngay; Proprii pro diebus dominicis et festis, Communis sanctorum, necnon rituum Confirmationis, Unctionis infirmorum et Matrimonii lingua sara madjingay.
9. Congi-Brazapolitanae (4 dec. 1965, Prot. n. 4146/65): confirmatur interpretatio lingua lari missalis a Coetu Episcoporum proposita, continentis aliquas partes Missalis romani et Ordinem exsequiarum pro adultis et pro sepeliendis parvulis.

#### Africa Occidentalis

##### V. Decreta particularia:

2. Dakarensis in Senegal (27 nov. 1965, Prot. n. 4081/65): confirmatur interpretatio lingua wolof Ordinarii Missae, praefationum, textuum Missae pro sponsis, ritus Matrimonii, Missae pro defunctis et exsequiarum, quae in libro *Tére' Més* exstat.

3. Maliae (5 nov. 1965, Prot. n. 3365/65; 4 dec. 1965, Prot. n. 4095/65): confirmantur sequentes interpretationes populares a Coetu Episcoporum propositae:
- a) Lingua bambara: Ordinarium Missae et Proprium de Tempore a dom. I Adventus ad Pascha.
  - b) Lingua malinké: Ordinarium Missae et Proprium Missarum de Tempore.
  - c) Lingua senoufo: Ordinarium Missae et Evangelia pro diebus dominicis.
  - d) Lingua pomporom: Ordinarium Missae et Evangelia pro diebus dominicis.
  - e) Lingua minyanka: Ordinarium Missae et Evangelia pro diebus dominicis.
  - f) Lingua dogon: Ordinarium Missae et Lectionarium pro diebus dominicis et festis.
  - g) Lingua bobo: Ritus benedictionis et aspersionis aquae, Lectionarium pro dominicis Adventus, die Nativitatis et dom. XI-XXIV post Pentecosten; Proprium Missarum Nativitatis, Christi Regis, Omnium Sanctorum et pro sponsis; Commune festorum BMV. et Summorum Pontificum; ritus Baptismi parvolorum.

## Angola

I. Documenta: 1 dec. 1965 (Prot. n. 4093/65).

IV. Interpretaciones populares adhibendae:

Lingua quioco:

Textus Ordinarii Missae et ritus Baptismi parvolorum a Coetu Episcoporum propositi.

## Chenia

**V. Decreta particularia:**

2. **Eldorensis** (22 nov. 1965; Prot. n. 3772/65): confirmatur interpretatio lingua turkana cantuum Ordinarii Missae.

## Madagascar

**I. Documenta:** 6 dec. 1965 (Prot. n. 3775/65).

**IV. Interpretationes populares adhibendae:**

2. **RITUALIA:** Textus formularum essentialium Sacramentorum a Coetu Episcoporum propositus.

## Malawi

**V. Decreta particularia:**

1. **Mzuzuensis** (29 nov. 1965, Prot. n. 4037/65): confirmatur interpretatio tumbuka *Gloria* et *Credo*, ab Ordinario proposita, et liber *Uthenga Uweme na Milimo ya Wapostoli* (*Evangelia* et *Acta Apostolorum*).

## Mozambicum

**V. Decreta particularia:**

1. **Beirensis** (26 nov. 1965, Prot. n. 3845/65): confirmatur interpretatio lingua chisena Ordinarii Missae et parvi Ritualis ab Ordinario proposita.
2. **Quelimanensis** (3 dec. 1965, Prot. n. 4120/65): confirmatur interpretatio lingua echuabo ritus Baptismi adulorum, ab Ordinario proposita.

## Nigeria

**I. Documenta:** 15 dec. 1965 (Prot. n. 4182/65).

**IV. Interpretationes populares adhibendae:**

1. **MISSALIA**

**Lingua tiv:**

Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

## Ruandia-Burundia

I. Documenta: 15 dec. 1965 (Prot. n. 4161/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA

a) Lingua kinyarwandensi:

Missale ab Alexio KAGAME paratum.

b) Lingua kirundiensi:

*Imiseli ya Roma, Inkuru Nziza* (Evangelia et Acta Apostolorum),  
Usumbura 1960.

## Tanzania

I. Documenta: 8 nov. 1965 (Prot. n. 3827/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Lingua swahili:

Textus quarundam formularum Ordinarii Missae a Coetu Episcoporum propositus.

2. RITUALIA:

Versio formularum essentialium aliarumque partium rituum Sacramentorum a Coetu Episcoporum proposita.

## Uganda

V. Decreta particularia:

1. Aruaensis (3 nov. 1965, Prot. n. 3776/65): confirmatur interpretatio linguis logbara et madi Ordinarii Missae ab Ordinario proposita.

---

## AMERICA

---

### Aequatoria

I. Documenta: 4 dec. 1965 (Prot. n. 4112/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

a) Lingua hispanica:

Textus praefationum a Commissione mixta pro regionibus linguae hispanicae paratus.

b) Lingua quechua:

Textus Ordinarii Missae et Proprii Missae pro sponsis a Coetu Episcoporum propositi.

### Brasilia

I. Documenta: 26 nov. 1965 (Prot. n. 4065/65); 4 dec. 1965 (Prot. n. 4138/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus quattuor praefationum particularium, orationum sollemnium feriae VI in Passione et Morte Domini, parvi missalis ab ed. Paulinis imprimendi, a Coetu Episcoporum propositi.

2. RITUALIA: Ritus Baptismi adulorum, Dedicationis ecclesiae, et partes Consecrationis episcopalnis quae lingua vernacula dici possunt, a Coetu Episcoporum propositi.

3. BREVIARIA: *Livro de Horas* (Herder 1965), et *Pequeño Oficio a Coetu Episcoporum* propositum.

---

## Peruvia

I. Documenta: 1 dec. 1965 (Prot. n. 4092/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

2. RITUALIA: Textus rituum Baptismi parvolorum, Confirmationis, Absolutionis sacramentalis, distributionis sacrae Communionis extra Missam, Matrimonii et Benedictionis nuptialis, necnon Unctionis infirmorum a Coetu Episcoporum propositi.

V. Decreta particularia:

2. Cuschensis (24 nov. 1965, Prot. n. 4001/65): confirmatur interpretatione lingua quechua Ordinarii Missae, praefationis communis, formularum essentialium rituum Baptismi, Confirmationis, Paenitentiae, Communionis et Unctionis infirmorum a Coetu Episcoporum proposita.

---

## OCEANIA

---

### Cook Insulae

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 4002/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Lingua rarotongan maori:

Ordinarium Missae a Vicario Apost. propositum.

## Nova Guinea

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 3773/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: *St. Andrew daily missal; The Cathedral english missal.*
2. RITALIA: Pro Ordinibus conferendis: *Ordinations* (Techny, 1965), a Biskuperk paratum.

V. Decreta particularia:

2. Rabaulensis (24 nov. 1965, Prot. n. 3966/65): confirmatur interpretatione lingua gunantuna Proprii Missarum de tempore.

## Samoa et Tokelau Insulae

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 3983/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

2. RITALIA: Textus allocutionum et admonitionum in Ordine Presbyteratus conferendo, ab Ordinario propositus.

## Tonga et Niue Insulae

I. Documenta: 22 nov. 1965 (Prot. n. 3836/65); 1 dec. 1965 (Prot. n. 4091/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

Lingua niue:

1. MISSALIA: Textus Ordinarii Missae, praefationum, formularum *Dominus vobiscum et Ite, missa est*, a Vicario Apost. propositi.
2. RITALIA: Textus duarum unctionum et formulae essentialis ritus Baptismi, ritus Confirmationis, ritus continui Unctionis infirmorum et Benedictionis Apostolicae, pariter a Vicario Apost. propositi.

## Vallis et Futuna Insulae

(Vicariat. Apost.)

- I. Documenta: 27 nov. 1965 (Prot. n. 3998/65).
- II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: vallensiensis.
- III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:
  1. IN MISSA: Ordinarium.
- IV. Interpretationes populares adhibendae:
  1. MISSALIA: Textus Ordinarii a Vicario Apost. propositus.

---

### Decreta, quibus confirmantur interpretationes populares praefationum in Missa

- Bhagalpurensis, die 22 nov. 1965 (Prot. n. 3920/65): confirmatur interpretatio lingua santali praefationum, ab Ordinario proposita.
- Indonesia, die 3 dec. 1965 (Prot. n. 4122/65): confirmatur interpretatio popularis extans in libro *Sembahjang Misa* a WAHJO et BOUMA parato.
- Honduria, die 25 nov. 1965 (Prot. n. 4040/65): confirmatur interpretatio popularis extans in parvis Missalibus a RIBERA, SÀNCHEZ-RUIZ, LEFÈBVRE et NACAR-COLUNGA, iam approbatis.

### SUMMARIUM DECRETORUM QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES POPULARES PROPRIORUM RELIGIOSORUM (a die 1 nov. ad 15 dec. 1965)

Congregatio Vallis Umbrosae O.S.B.  
ITALIA

1. Die 6 dec. 1965 (Prot. n. 4148/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Congregationis.

### Ordo Praedicatorum

#### AUSTRALIA ET NOVA ZELANDIA

11. Die 22 nov. 1965 (Prot. n. 3972/65); et 6 dec. 1965 (Prot. n. 3972/65): confirmatur interpretatio anglica formulae Absolutionis sacramentalis iuxta ritum dominicanum et interpretatio gilbertensis Ordinarii Missae.

### Ordo Fratrum Minorum

#### ITALIA (Provincia Tridentina)

5. Die 10 dec. 1965 (Prot. n. 4156/65): confirmatur interpretatio italica Missarum de SS. Redemptore et de SS. Quirico et Iulitta.

### Ordo Servorum Mariae

#### ITALIA

1. Die 8 nov. 1965 (Prot. n. 3893/65): confirmatur interpretatio italica Missae de B. M. Virgine Montis Berici.

#### Congregatio Presbyterorum a Ss. Stigmatibus D. N. I. C.

#### ITALIA

1. Die 8 nov. 1965 (Prot. n. 3956/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Congregationis.

#### Congregatio Missionariorum Filiorum SS. Cordis Iesu

#### GERMANIA

1. Die 6 dec. 1965 (Prot. n. 4151/65): confirmatur interpretatio germanica Missarum de Ss. Petro Claver, Stanislao Kostka et Alphonso Rodriguez.

#### Sorores a Misericordia

#### AUSTRALIA

1. Die 3 dec. 1965 (Prot. n. 4094/65): confirmatur interpretatio anglica Proprii Missarum Instituti.

# Actuositas Coetuum Episcoporum

## **LIBRI LITURGICI OFFICIALES**

### **CECOSLOVACHIA**

#### **Lekcionár. Liturgia Divini Verbi.**

Editor: Vydal Spolok Sv. Vojtechova V Cn. Bratislava 1965.

18×24,5 cm., pp. 527 [125].

Versio approbata a Coetu Episcoporum Cecoslovacchiae. Praebet omnia quae pertinent ad liturgiam verbi: ab antiphona ad introitum ad orationem fidelium inclusive.

CONTENTUM: Ex Ordinario Missae; Proprium de Tempore; Proprium Sanctorum; Missae votivae; Missae defunctorum; Missae propriae dioecesum Slovacchia; orationes communes seu fidelium (12 formularia).

### **GERMANIA-HELVETIA**

#### **Lateinisch-Deutsches Altar Messbuch \***

Editores: Benzinger (Einsiedeln) - Herder, 1965.

Versio germanica approbata a Coetu Episcoporum Germaniae et Helvetiae.

#### **Pars I:**

22×31 cm., pp. 290 [181].

CONTENTUM: Ritus servandus in celebratione Missae; De defectibus; conclusiones orationum; Proprium de Tempore a dom. I Adventus ad Sabbatum post I dom. Passionis; Ordo Missae; Proprium Sanctorum; Commune Sanctorum; Missae de Sancta Maria in sabbato; Missae votivae; Missae defunctorum; Appendix (Praefationes particulares in cantu et sine cantu; Canon Missae in cantu).

\* Pro Parte III, cfr. *Notitiae* 1 (1965) 281.

## Bibliographica

*In hac « rubrica » elencha bimus publicationes, quae ad Redactionem mit-tuntur. A iudicio operum abstinebimus, salva una aliave adnotacione cha-racteris pure editorialis. Ipsa inscriptio cuiusdam operis in hoc elenco nul-lum includit operis iudicium.*

WALTER BÜHLER, *Das Bewegliche Osterfest Kalenderreform und Osterdatum*. Tübingen, Katzmann-Verlag, 1965. In-16°, 140 pp.

Arch. PINA CIAMPANI, *Architettura e Liturgia*. Assisi, Pro Civitate Chri-stiana, 1965. 22 × 22,30 cm., 162 pp., XXXIII tab.

Opus continet Acta Congressus diebus 22-24 aprilis huius anni, Assisii habitu, in aedibus « Pro Civitate Christiana », ad studenda problemata aedificii sacri sub aspectu technico, liturgico, pastorali, sociali, inter harum scientiarum peritos. Eorum relationes per pulchre illustrantur 88 imaginibus photographicis, aliquando hic prima vice editis, circa peculiares aspectus quarumdam ecclesiarum, his ultimis annis constructarum.

NOTKER FÜGLISTER, *Das Psalmengebet*. München, Kösel-Verlag, 1965. In-16°, 168 pp.

PIERRE EDMOND GEMAYEL, *Avant-Messe Maronite. Histoire et structure*. Roma, Pont. Institutum Orientalium studiorum, 1965. In-8°, 361 pp.

M. HUBERT, *La Messe. Histoire du culte eucharistique en Occident*. Paris, 1965. In-16°.

vol. I *Les origines et l'âge d'or patristique (I<sup>e</sup>-II<sup>e</sup> siècles)*. In-16°, 160 pp.  
[30 « diapositives »].

vol. II *Le moyen âge et les temps modernes (VII<sup>e</sup>-XX<sup>e</sup> siècles)*. In-16°,  
174 pp., [30 « diapositives »].

M. MORGANTE, *La riforma della liturgia promossa dal Vaticano II*. Roma, Edizioni Paoline, 1965. In-8°, 255 pp.

A. M. ROGUET, *Construire et aménager les églises*. Paris, Editions du Cerf, 1965. In 16°, 123 pp.

*Assemblées du Seigneur. Catéchèse des dimanches et de fêtes.* Collection dirigée par l'abbaye de St André (Bruges) conjointement avec le grand séminaire de Lille.

1. *Introduction*, 1962, 96 pp.: textes de S. E. Mgr. A. Descamps, chanoine G. Fransen, Th. Maertens OSB, Ph. Rouillard OSB, R. Gantoy OSB, chanoine N. Clarisse.
2. *Temps de l'Avent*, 1962, 104 pp.: textes de Th. Maertens OSB, B. Lövenberg, chanoine J. Ponthot, P. Delannoy, R. Wasselynck, A. M. Besnard OP, Missionnaires diocésains de Paris.
3. *Premier Dimanche de l'Avent*, 1963, 88 pp.: textes de Th. Maertens OSB, chanoine A. Rose, G. Lafont OSB, A. George SM, D. Sesboüé, A. Lauras SJ, chanoine J. Moutoux, E. Cornil.
4. *Deuxième Dimanche de l'Avent*, 1961, 100 pp.: textes de Th. Maertens OSB, J. Dupont OSB, R. Swaeles OSB, Ph. Rouillard OSB, A. Decourtray, chanoine M. Cornil.
6. *Quatre-Temps de l'Avent*, 1965, 108 pp.: Textes de A. Aubry, I. Oñatibia, B. Rigaux OFM, P. Benoît OP, P. Claudel, M. Mericel, A. Decourtray, J. Rouby.
8. *Vigile de Noël*, 1962, 112 pp.: textes de D. Raquez OSB, J. Duplacy, A. Bouton OSB, R. Swaeles OSB, R. Gillet OSB, S. E. Mgr. J. Sauvage, S. E. Mgr A. C. Renard.
9. *Temps de Noël*, 1964, 104 pp.: textes de E. Lipiùski, Rmme Dom. Th. Ghesquière OSB, P. De Surgy, L. M. Dewailly OP, F. Refoulé OP, L. Matthieu OFM, R. Gantoy OSB.
10. *Fête de Noël*, 1963, 116 pp.: textes de A. Robeyns OSB, C. Bourgin OP, A. George SM, M-F Lacan OSB, G. Hudon OMI, P. Donet CSsR, G. Sévère OPr.
11. *Dimanche dans l'octave de Noël*, 1961, 100 pp.: textes de E. Cornil, A. George SM, F. Neirynck, P. Ternant PB, J. Liebaert, N. Decrok.
12. *Octave de Noël - Fête du saint nom de Jésus*, 1961, 96 pp.: textes de A. Stenzel SJ, M. Coune OSB, R. Deville PSS, H. Cazelles, Pl. Deseille OCSO, J. Houyet OP, chanoine M. Gallerand.
13. *Fête de l'Epiphanie*, 1962, 108 pp.: textes de O. Raquez OSB, P. Grelot, chanoine S. Muñoz Iglesias, A. Rétif SJ, G. Hudon OMI, Chanoine P. Barrau, P. Meurice FC.

14. *Fête de la sainte Famille*, 1961, 112 pp.: textes de Th. Maertens OSB, J. Dupont OSB, J. Vanderhaegen, G. M. Oury OSB, P. Stark SJ.

15. *Temps des dimanches verts*, 1965, 104 pp.: textes de R. Gantoy OSB, M. Coune OSB, A. George SM, J. de Fraine SJ, H. Crouzel SJ, J. Deledicque, chanoine J. Bournique.

16. *Deuxième Dimanche après l'Epiphanie*, 1962, 96 pp.: textes de A. Aubry, A. Viard OP, E. Jacquemin OCR, P. Claudel, J. Gribomont OSB, G. D. Sixdenier OSB, J. Galot SJ, chanoine M. Levallois.

17. *Troisième Dimanche après l'Epiphanie*, 1962, 96 pp.: textes de R. Bornert OSB, C. Spicq OP, M. E. Boismard OP, P. Grelot, PH. Rouillard OSB, A. M. Besnard OP, G. de Guerry.

21. *Temps de la Septuagésime et du Carême*, 1964, 108 pp.: textes de A. Aubry, O. Raquez OSB, chanoine A. Rose, P. Ternant PB, Ch. Elchinger AA, chanoine A. Stévaux.

22. *Dimanche de la Septuagésime*, 1965, 104 pp.: textes de Ph. Rouillard OSB, G. Martelet SJ, J. Dupont OSB, C. Wiéner, J. Rousse OSB, chanoine R. Didier, M. Dumortier.

23. *Dimanche de la Sexagésime*, 1964, 112 pp.: textes de Ph. Rouillard OSB, J. Comblin, J. Dupont OSB, P. Biard, A. Kerkvoorde OSB, A. Deccourtay, chanoine M. Deleuze.

26. *Premier Dimanche de Carême*, 1962, 112 pp.: textes de chanoine A. Rose, chanoine G. Brillet, J. Dupont OSB, L. Derousseaux, R. Dolle OSB, J. Frisque, chanoine N. Clarisse.

28. *Deuxième Dimanche de Carême*, 1963, 108 pp.: textes de R. Bornert OSB, chanoine G. Brillet, X. Léon-Dufour SJ, J. de Fraine SJ, M. Coune OSB, chanoine A. Fauchet.

30. *Troisième Dimanche de Carême*, 1963, 104 pp.: textes de R. Béraudy PSS, chanoine J. Giblet, R. Beauverys, D. Dufrasne OSB, J. C. Guy SJ, chanoine A. Roets, chanoine E. Verdellet.

34. *Premier Dimanche de la Passion*, 1963, 120 pp.: textes de L. Deiss CSSp, C. Bourgin OP, D. Mollat SJ, P. Grelot, R. Dolle OSB, P. Foresi, G. Gendebien.

37. *Deuxième Dimanche de la Passion*, 1965, 120 pp.: textes de S. Marsili OSB, P. Drijvers OCSO, L. Krinetzki OSB, J. Dupont OSB, J. Vanderhaegen, Fr. Bouilly OSB, A. M. Besnard OP, chanoine P. Warnier.

43. *Octave de Pâques*, 1964, 120 pp.: textes de H. A. J. Wegman, A. Vanhoye SJ, P. Vanbergen, E. Haulotte SJ, M. Huftier, J. Aubry SDB, B. Guillard.

47. *Quatrième Dimanche après Pâques*, 1963, 92 pp.: textes de chanoine M. Cornil, R. Gantoy OSB, A. George SM, I. de la Potterie SJ, N. Egender OSB, J. de Baciocchi SM, G. Thiry.
48. *Cinquième Dimanche après Pâques*, 1965, 104 pp.: textes de R. Bornert OSB, C. Spicq OP, A. George SM, E. Jacquemin OCR, A. Hamman OFM, J. Aubry SDB, chanoine J. Choquet.
51. *Fête de la Pentecôte*, 1963, 116 pp.: textes de R. Bornert OSB, R. Le Déaut CSSp, J. Dupont OSB, A. George SM, C. Jean-Nesmy OSB, chanoine R. Didier, chanoine R. Meuillet.
52. *Semaine de la Pentecôte*, 1965, 108 pp.: textes de F. Vandenbroucke OSB, P. Buis CSSp, S. E. Mgr H. Jenny, E. Lipinski, B. Luykx OPr, S. E. Mgr. H. Dupont.
53. *Fête de la Sainte Trinité*, 1964, 96 pp.: textes de L. A. Gignac OP, P. E. Bonnard, W. Trilling CO, Y-B. Trémel OP, Ph. Rouillard OSB, G. Lefebvre OSB, chanoine M. Cornil.
55. *Deuxième Dimanche après la Pentecôte*, 1962, 112 pp.: textes de chanoine D. Mathieu, J. Dupont OSB, R. Swaeles OSB, P. M. Galopin OSB, M. Huftier, E. Cornil, R. Gantoy OSB.
57. *Troisième Dimanche après la Pentecôte*, 1965, 92 pp.: textes de G. Danneels, E. Golebiewski SDB, J. Cantinat CM, L. Derousseaux, N. Egender OSB, A. M. Besnard OP.
58. *Quatrième Dimanche après la Pentecôte*, 1963, 88 pp.: textes de P. D'Haese OP, A. M. Dubarle OP, H. Schürmann, P. Grelot, J. Chéruel, P. Faynel PSS, Mgr R. Izard.
60. *Sixième Dimanche après la Pentecôte*, 1963, 108 pp.: textes de A. Aubry, J. Cambier SDB, J. Comblin, E. Lipinski, A. Kerkvoorde OSB, P. Montaigne, R. Gantoy OSB.
65. *Onzième Dimanche après la Pentecôte*, 1963, 116 pp.: textes de Th. Maertens OSB, J. Cambier SDB, L. Leloir OSB, R. Swaeles OSB, R. Béraudy PSS, M-J. Le Guillou OP, F. Coudreau PSS.
67. *Treizième Dimanche après la Pentecôte*, 1965, 120 pp.: textes de chanoine M. Cornil, M-F. Lacan OSB, E. Charpentier, A. Ridouard, V. Janeiras OSB, J. Houyvet OP, chanoine E. Verdellet.
68. *Quatorzième Dimanche après la Pentecôte*, 1964, 96 pp.: textes de G. Danneels, M-F. Lacan OSB, E. Jacquemin OCR, C. Wiéner, J. Perrier, I. Gobry, J. Marty.
69. *Quinzième Dimanche après la Pentecôte*, 1964, 104 pp.: textes de R. Bornet OSB, V. Warnach OSB, P. Ternant PB, R. Swaeles OSB, A. Kerkvoorde OSB, chanoine R. Guelluy, A. D. Brunet OP.

70. *Seizième Dimanche après la Pentecôte*, 1965, 96 pp.: textes de P. Farinez, R. Gantoy OSB, P. Simson PB, H. Duesberg OSB, G. Hudon OMI, A. M. Besnard OP, R. Naret FMC, Ph. Laurent FMC.

71. *Dix-septième Dimanche après la Pentecôte*, 1963, 108 pp.: textes de Ph. Rouillard OSB, P. Benoit OP, B. van Iersel SMM, E. Jacquemin OCR, J. Gribomont OSB, L. Fèvre.

72. *Quatre-Temps de septembre*, 1964, 112 pp.: textes de G. Tampère PB, A. Vanhoye SJ, P. Ternant PB, J. Comblin, R. Dolle OSB, chanoine R. Coffy, R. Bocquet.

73. *Dix-huitième Dimanche après la Pentecôte*, 1962, 104 pp.: textes de chanoine A. Rose, R. Feuillet PSS, J. Dupont OSB, J. Vanderhaegen, Ph. Rouillard OSB, P. A. Liégé, OP, chanoine P. Montaigne.

74. *Dix-neuvième Dimanche après la Pentecôte*, 1963, 104 pp.: textes de R. Béraudy PSS, M. Coune OSB, R. Swaeles OSB, P. M. Galopin OSB, H. Crouzel SJ, J. Deledicque, R. Gantoy OSB.

75. *Vingtième Dimanche après la Pentecôte*, 1965, 120 pp.: textes de N. Leneuf, Ch. Bigaré SJ, M. E. Boismard OP, P. Ternant PB, L. Villette, B. Piault, Y. Daniel.

76. *Vingt-et-unième Dimanche après la Pentecôte*, 1964, 112 pp.: textes de Ph. Rouillard OSB, J. Pierron MEP, L. Deiss CSSp, R. Swaeles OSB, M. Huftier, G. Pelloquin, P. Mousset OFM.

78. *Vingt-troisième Dimanche après la Pentecôte*, 1965, 116 pp.: textes de S. E. Mgr. H. Jenny, Y. B. Trémel OP, J. Potin AA, R. Swaeles OSB, N. Egender OSB, E. Cornil.

89. *Fête de la Toussaint*, 1963, 108 pp.: textes de Dom J. Gaillard OSB, J. Comblin, E. Jacquemin OCR, J. de Vaulx, Ph. Rouillard OSB, A. M. Besnard OP, chanoine R. Floy.

91. *Commun de la dédicace des églises*, 1964, 112 pp.: textes de L. Maldonado Arenas, M. Coune OSB, A. M. Cocagnac OP, chanoine M. Fraeyman, Ph. Rouillard OSB, J. Bonduelle OP, L. Heuschen.

93. *Commun des confesseurs pontifes*, 1965, 112 pp.: textes de M. van Molle, A. Vanhoye SJ, chanoine M. Didier, chanoine Ch. Hauret, J. Colson, J. Lécuyer CSSp, S. E. Mgr. G. Huyghe.

# **LIBRERIA EDITRICE VATICANA**

---

## **Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae inducendae**

Editio typica

In 16°, pp. 24, L. 250 (\$ 0,40)

Continet Missam Chrismatis feriae V in Cena Domini recognitam, idest cum novis pericopis, necnon cum textibus et melodiis simplicioribus, depromptis **ex edendo** Graduali simplici, *ad libitum* adhibendis, loco illarum quae adhuc in usu sunt.

Praebet rubricas ad simpliciorem formam redactas pro consecratione Oleorum et quosdam textus mutatos in orationibus sollemnibus feriae VI in Passione et Morte Domini.

## **Ritus servandus in Concelebratione Missae et Ritus Communionis sub utraque specie**

Editio typica

In 16°, pp. 104, L. 900 (\$ 1,50)

In libello, affabre excuso, habentur Ritus concelebrationis et Communionis **sub utraque specie** a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » parati, et a Sacra Rituum Congregatione promulgati. Additur Canon Missae ad usum concelebrantium, et melodiae textuum, qui cani permittuntur.

## **De oratione communii seu fidelium**

In 8°, pp. 32, L. 300 (\$ 0,50)

In fasciculo, parato a « Consilio », orationis communis natura, momentum ac structura describuntur. Indicantur criteria ad eam parandam, et praebentur specimina, super quibus Commissiones liturgicae nationales confidere possunt schemata pro sua dictione.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

## Missa pro Iubilaeo extraordinario

Editio typica

Fasciculus in 4°, cum latiore margine, ut omnibus Missalibus aptari possit. Pp. 24 - L. 400 (\$ 0,70).

Extraordinarium Iubilaeum, quod Beatissimus Pater Paulus Pp. VI, Concilii Vaticani II veluti coronam, die 7 decembris 1965 indixit ac promulgavit, in singulis catholici Orbis dioecesibus celebrandum, ita ordinatum est ut « suam sedem ac veluti domum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur » (Const. Apost. *Mirificus eventus*). Opportunum proinde visum est, ut etiam per liturgicos textus, in praecipuis huius sacri Iubilaei celebrationibus eucharisticis adhibendos, eadem praeclera notio Pastoris et Ecclesiae pressius exprimatur et extollatur.

Fasciculus continet Missam peculiarem *extra tempus paschale* adhibendam, et idem schema cum nonnullis variationibus pro *tempore paschali*; insuper orationem fidelium, melodiam novae praefationis, cantus simpliciores, et indicationem melodiarum e Graduali Romano depromptarum.

Decretum, quo Sacra Rituum Congregatio Missam promulgat, clare statuit quibus in adjunctis haec Missa adhiberi valeat.